

In Nomine Domini Nostri  
Iesu Christi Crucifixi Amen

Ego Stanislaus a Jesu Maria Papczyński Filius secundum carnem Thomae  
de Podgrodzie Diocesis Cracoviensis, annorum quadraginta, offero,  
ac dedico Omnipotenti Deo Patri et Filio et Spiritui Sancto, ac  
Deiparae semper Virginis Mariae, sine macula originali Conceptae, cor  
meum, animam meam, intellectum, memoriam, voluntatem, affectus, mentem  
totam, animum totum, sensus interiores et exteriores, et corpus meum, nihil  
mibi penitus relinquendo, ut sic deinceps sim totus eiusdem Omnipotentis ac  
B. V. Mariae Servus.

Quapropter Iisdem promitto me in vitae meae caste ac ferventer  
famulaturum in hac (quam condere Dei gratia volo) Societate Clericorum  
Marianorum Immaculate Conceptionis, atque huius legibus, statutis, ac ritibus  
mores meos accommodatum, neque unquam acturum, neque permissurum aut  
consensurum, neque indirecte quidem, ut haec aliquomodo tollantur, aut mutantur,  
aut dispensentur, nisi in gravi et legitima necessitate.

Promitto praeterea Sanctissimo Iesu Christi Vicario eiusque delegatae potestati,  
ac omnibus meis mediatis et immediatis Superioribus obedientiam  
sano modo intellectam, et quod nihil privatim, sed omnia communia habebō.

Profiteor me credere, quidquid Sancta Romana Ecclesia credit, atque  
deinceps ad credendum praecipiet, maxime vero Sanctissimam Dei Genitricem  
Mariam absque macula originali esse conceptam profiteor, eiusque honorem  
etiam cum dispendio vitae meae polliceor a me propagatum ac defensum iri.  
Sic me Deus adiuvent et haec Sancta Evangelia Dei.

Casimiriae ad Cracoviam in Residentia Clericorum Regularium Pauperum  
Matris Dei Scholarum Piarum, praesentibus, Admodum Reverendo Patre  
Iosepho a Matre Dei Praesidente dictae Residentiae, et Venerabilibus Clericis  
Minorum Ordinum Casimiro ab Angelis, et Bernardo a Passione Domini,  
die 11 Xbris 1670

Stanislaus a JESU MARIA Papczyński